



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio III. De obscuritate fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

entitate supernaturalis, potentem continere.

CONTRA est. Quia etiam odio Dei, est extrinseca amabilitas Divina; & tamen hoc non obstante, odium Dei non potest esse supernaturale. Ergo præcisè ex eo, quod aliquid sit ratione extrinseci, non sequitur conjugibile jam illud esse cum ente supernaturali. Deinde licet quid sit extrinsecum error cognitioni: quia desumitur ab objecto aliter se habente: non tamen hoc sensu est extrinsecum, hoc est realiter superadditum, ipsi entitati.

OBJICITUR Primò. Falsitas conveniens divinitus cognitioni, componitur cum conceptu primario & secundario cognitionis supernaturalis. Ergo non implicat cognitio supernaturalis divinitus falsa.

RESPONDETUR. Negando antecedens, ob rationes allatas, & licet quidem ille actus erroris supernaturalis, foret distinctus ab errore naturali, sed hoc ipsum subjectum negatur, posse dari errorem supernaturalem.

OBJICITUR Secundò. Potest affectus supernaturalis esse vitiosus. Ergo & falsus.

RESPONDETUR. Antecedens esse verum, quando est extrinseca malitia illius actus vitiosi. Jam autem ratio dissoni, non est quid extrinsecum ipsimet errori. Supponitur autem quod Deus dissonum naturæ intellectuali quæ tali, qualis est error, operari non possit.

INSTAT Ripalda. In casu antecedentis non solum mediâtè, potest ille actus esse malus, in quantum scilicet ab actu malo referretur in finem malum, verum etiam immediâtè: quia ipse immediâtè à Deo pro suo libitu prohibitus, fieri potest, contra prohibitionem divinam.

RESPONDETUR. Prohibitionem illam reddituram illum actum, non nisi extrinsecè malum: quia hoc est intrinsecè malum, quod ipsum in entitate manens, non potest fieri benè: hoc autem non competeret illi actui. Ea quæ subdit de duratione visionis beatæ; alibi soluta, hoc tantum addo. Negando à scientia simplicis intelligentiæ præsentari in visione repugnantiam ad destrui: cum possit esse visio Dei temporanea: vel ad maximum præsentat, non posse illam à DEO destrui sub conditione, si DEUS nolit: ad eum modum, quo in Angelis præsentatur incorruptibilitas, si Deus nolit uti suâ potentia ad id.

OBJICITUR Tertiò. Potest existere cognitio supernaturalis potestate absolutâ Dei, non existente objecto, quoad præsentat. Ergo & cognitio supernaturalis poterit esse erronea.

RESPONDETUR. Duplicem errorem distinguere; quendam simpliciter, & pro omni eventu, ut si quis dicat Deus non est trinus. Secundò error, qui respectu hujus quidem in-

stantis error est, respectu aliûs veritas: Prioris illius erroris non potest esse causa Deus per se; nec potest existere supernaturalis cognitio, ita errans: potest posterioris ordinis: expressèque docet Quirós, occasionaliter posse se Deum habere ad errorem, sed non determinando præcisè ad eundem; & ita etiam Deus, non dando gratias efficaces, utitur jure suo; licet illis non datis, sequatur per accidens peccatum.

OBJICIT Quartò idem. Cognitio supernaturalis non alligatur objecto extrinsecò immediâtè, ac per se; sed mediâ voluntate Divinâ. Deus autem potest negare existentiam rerum supernaturalium, quod negat existentiam naturalium. Ergo potest negare cognitioni supernaturali, existentiam objecti.

RESPONSUM, quod Deus possit negare cognitioni supernaturali existentiam objecti, si illa versetur circa aliquid contingens, consequenter erit adhuc vera respectu diversi instantis; nec erit tunc error: quia profilire in actum secundum, quem hic & nunc circumstantiæ deposcunt, non est errare. Negatur tamen posse Deum denegare concursum existentiam objecti necessarii, & quæ talis, attracti à notitia supernaturali, idque ob rationes allatas. Ex quo etiam regulari debet, qualinam apparenti revelationi, possit fieri assensus supernaturalis.

OBJICIT Quintò idem. Potest esse visio sensitiva intrinsecè supernaturalis, quæ tamen retineatur in absentia objecti. Rursus de facto in apparitionibus miraculosis, ita fit, ut faciat Deus fieri visiones referentes objectum, quod re verâ non est. Ergo etiam poterit facere idem, cum sensationibus intrinsecè supernaturalibus. Ergo & notitia supernaturalis, poterit esse erronea.

RESPONDETUR. In sensatione nullum propriè reperiri errorem, de quo hic agitur. Deinde non esset tunc Deus causa per se erroris, sed non nisi occasionaliter; apparitiones etiam illæ non sunt dissonæ naturæ intellectuali, quæ tali.

QUÆSTIO II.

De Obscuritate Fidei.

PRÆMITTO Primò. *Fidem esse obscuram.* Ratio, quia id docet Scriptura & Patres, unde vocatur argumentum non apparentium, lucerna in caliginoso, enuntiaturumque est Patrum: Fidelis sum; nescio quod credo.

PRÆMITTO Secundò. *Obscuritatem fidei, ex alijs dictis, nullo modo posse habere rationem motivi,* & quamvis obscuritas conjungatur rationi formali fidei, ut si dicatur: formale fidei est veritas divina obscurè attestans: nihilominus obscuritas

(k) 3 non

non habebit rationem motivi, ad eum modum quo si dicam: Ignis applicatus ignit, applicatio, non est ratio formalis igniendi. Quod universaliter in hoc resolvitur. Id quod est annexum rationi formali, tunc habet rationem formalem, quando extra conjunctionem, est in illa partialis vis, ejus, de quo quaritur. Nam conjunctio ipsa, perficit, non immutat rationes rerum; ipsaque conjunctio, non dat vires. Hinc si minor, non habeat vim movendi partialem, etiam conjuncta cum majori, non habebit vim; applicatioque conjuncta cum igne non ignit: quia seclusa conjunctione, igniendi vim non habet. Quia autem etiam obscuritas, non conjuncta auctoritati divinæ, vim movendi intellectum non habet, fit ut nec conjuncta habeat.

PRÆMITTO Tertiò. *Præter evidentiam formalem, dari etiam evidentiam objectivam.* Ratio. Tum quia datur certitudo objectiva. Ergo & evidentia objectiva ob paritatem rationis. Tum quia si potest dari conceptus illius; & hic ostendetur de facto competere objectis; de facto dabitur evidentia objectiva; hic autem conceptus mox adferetur. Tum quia communiter dicimus, quod non tantum hoc evidenter cognoscamus, sed quod ipsum sit in se evidens, quo loquendi modo significatur evidentia objectiva.

PRÆMITTO Quartò. *Quid sit evidentia objectiva?*

EXPLICAT Primò. Valentia id disp. i. quæst. 5. puncto 2. Quod evidentia sit necessitas assentiendi objecto. *Hec explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia non loquitur distinctè, an id sentiat de evidentia formali, an de evidentia objectiva. Tum quia etiam dum assumitur medium nonnisi probabile, & Syllogisticè disponitur concessis præmissis, necessitatur intellectus ad assentiendum, neque tamen tunc datur evidentia objecti vera, & non putata. Tum quia si Deus determinaret ad assentiendum alicui propositioni, nonnisi propter testimonium fallibile humanum; esset ibi necessitas assentiendi objecto, non tamen evidentia. Tum quia datur, sua etiam, in voluntate necessitas, in qua nulla evidentia. Ergo necessitas, ut conveniat aliquomodo tantum intellectui, debet aliquo alio restringi. Tum quia non explicat unde oriatur illa necessitas: si enim sit ex necessitate prædicatorum objecti materialis, talis necessitas etiam fidei convenit: nam v. g. Deus materiale objectum fidei, habet etiam necessariam connexionem suorum prædicatorum. Si item est ex certitudine, immutabilitate &c. suorum prædicatorum formalium, talem evidentiam habebit fides: quia etiam illa habebit immutabilitatem motivi formalis. Et ex his impugnari debet etiam explicatio Hurradi, dum ait evidentiam in hoc stare, ut eà positâ, non habeat intelle-

ctus potentiam proximam ad dissentendum.

EXPLICAT Secundò Lugo. Quod evidentia sit necessitas assentiendi, quæ provenit ex eo, quod intellectus ab ipso objecto convincatur, ad ejus veritatem non negandam: quod ultèrius explanat per differentiam illius necessitatis ab omni alia, quæ non est ipsa: quia scilicet omnia alia necessitas, sive proveniat à voluntatis imperio, sive à Deo, sive ab inadvertentia ad alia motiva contraria, talis est: ut licet in sensu composito, non possit cum ea necessitate conjungi dissensus: potest tamen postea, perleverant nonnisi memoriâ illius assensus prævii, oppositæ parti assentiri intellectus. Quando autem assensus est evidens; repugnat dissensus, etiam nonnisi memoriâ præteriti consensûs manente. *Hec explicatio*

NON SATISFACIT. Quia non explicat in qua sit ista convictio; posset enim Deus elevare aliquod objectum probabile, ad producendam aliquam qualitatem determinatam, quæ ejus esset naturæ, ut etiam nonnisi ob memoriâ præexhibiti assensus, determinetur homo ad non dissentendum. Quod si hoc dicas provenire in evidentia, ex vi motivorum; necesse fuit explicare cujusnam conditionis sint illa motiva? Tum quia etiam sola memoria animi boni, potest impedire voluntatem, ne illud oderit, & tamen non competeret tunc ulla evidentia voluntati; explicandum ergo venit, quid addat illi necessitati, evidentia spectans ad intellectum. Tum quia etiam si per impossibile nulla foret memoria; posset adhuc esse evidentia: non rectè ergo per id explicabitur evidentia ut sic. Rursus memoria est quid consequens evidentem assensum: quæro, pro illo priori, per quod formalisabitur evidentia.

EXPLICATUR Tertiò. *Quid sit evidentia* ut sic, communis ad subjectivam, & objectivam est claritas & perspicuitas in linea nosendi. Quam explicationem probat vel ipsa proportio ad evidentiam physicam vel lumen: quæ claritas si se teneat ex parte objecti, erit evidentia objectiva; si se teneat à parte subjecti, formalis. Hinc jam evidentia objectiva, erit claritas & perspicuitas ipsius cogniti objecti. Hæc ipsa claritas & perspicuitas desumitur à lumine Naturæ; lumen autem in noscibilibus, sunt principia lumine naturæ nota, aut veritas seipsam in se manifestans. Quotiescunque ergo actus aliquis, movetur principio lumine naturæ noto, vel proximè vel immediatè, aut veritate seipsam manifestante; ille actus habebit evidentiam formalem: quia scilicet illud motivum, est ratio claritatis & perspicuitatis actus. Quando vero ipsum objectum, dicit pro sua parte & representat ipsum principium, aut connexionem cum illo proximam, vel est ipsa veritas seipsam manifestans, habetur claritas & perspicuitas objecti-

va. Sicut enim cui applicatur lumen oculare, reddit illud clarum & evidens, & ipsum lumen est etiam in se evidens: sic etiam cui obiecto applicatur lumen intellectus seu principia, reddet illam cognitionem claram, & ipsum etiam obiectum, seu illud luminosum intellectuale, erit clarum.

PRÆMITTO. Quintò. *Quod cum evidentia opposita sit inevidentia, & cum fides includat inevidentiam necessario debet excludere evidentiam.* Porro hæc evidentia posset intervenire vel ab extrinsecis fidei, vel ab istis quæ intrinsecè importat fides. Jam autem fides importat intrinsecè veritatem Dei & dictionem. Hinc disputari potest: An possit stare fides cum evidentia, quæ mihi evidens sit veritas Dei, & dictio ab ea facta. Extrinsecum autem quid fidei, sunt motiva credibilitatis, experientia sensuum, notitia scientifica, &c. Dicuntur autem ista esse extrinsecæ fidei, quia illa nullo modo ingrediuntur rationem formalem fidei.

DIFFICULTAS I.

An fides stare possit cum evidentia ratione intrinsecorum Fidei?

EXaminabitur primum hæc thesis. An possit haberi evidentia de revelatione non habitâ evidentia de ipso Deo; sive non viso Deo clarè in seipso? Negat Bannez, Affirmat Suarez & Valquez & post illos Lugo disp. 1. Sect. 1.

ASSERO Primò. *In sententia qua asseris non posse videri essentiam Divinam sine attributis, vel attributa sine essentia, impossibile est cognosci evidentè & scientiâ visionis revelationem activam, & non cognosci scientiâ in visionis Deum.*

RATIO, quia & cognosceretur tunc scientiâ visionis revelatio activa, ut supponitur, & non cognosceretur, quia revelatio activa, est ipsemet Deus. Ergo si nihil potest cognosci visivè identificatum Deo, quin cognoscatur visivè Deus: si non cognoscitur tunc per visionem Deus, nec revelatio activa cognoscetur.

ASSERO Secundò. *In sententia qua asseris posse videri attributa non visâ essentia, potest videri revelatio activa, non viso Deo.*

RATIO. Quia non majorem dicit identitatem cum Deo revelatio activa, quam dicat attributum cum essentia. Ergo si non obstante identitate reali attributi cum essentia, potest videri attributum non visâ essentia, poterit etiam videri revelatio activa non viso Deo; quia adhuc debet tunc nosci Deus: quomodo enim nosceretur locutio Dei, si non noscitur Deus.

ASSERO Tertiò. *Revelatione passivâ intuitivè cognita, non est necesse intuitivè cognosci Deum.*

RATIO. Tum quia revelatio passiva non magis connectitur cum Divina essentia, quam connectatur creatura cum Creatore; & tamen

intuitivè cognita creaturâ, non est necesse intuitivè cognoscere Deum. Num dæmones intuitivè cognoscunt muscam esse creaturam, & tamen non vident Deum. Universaliterque visò respectivo, non est necesse eodem genere noscendij pervadere ad terminum. Tum quia sicut ponitur qualitas, quâ constituimur participes naturæ Divinæ; ita possibilis erit qualitas, quâ Deus nobis constituatur formaliter loquens; & per quam qualitatem impossibile sit alium loqui quam Deum: sicut impossibile est, ut qualitas gratiæ, sit aliud naturæ participatio, & non Divinæ; nec apparet implicantia in tali qualitate; cujus ipsius qualitatis, possibilis erit Species impressa quidditativa. Ergo illâ positâ, poterit cognosci evidentè, illud esse locutionem Dei; sed tunc non erit necesse cognoscere intuitivè Deum: quia species illa, repræsentat nonnisi illam qualitatem; & si id negas, non stas in supposito. Tum quia ut urget Lugo. Potest Angelus cognoscere supernaturaliter entitatem actûs Fidei & ejus supernaturalitatem. Ergo & cognoscere evidentè, quod habeat pro obiecto veram revelationem Dei; consequenter scit evidentè existentiam revelationis: hoc enim ipso, quia videt entitatem illius, videt etiam connexionem essentialem ejusdem ad Deum verè revelantem; nec tamen inde sequitur, ut videat etiam Deum.

ASSERO Quartò. *Revelatione passivâ intuitivè cognita, est necesse præsuppositivè, cognoscere Deum, tanquam quid connexum.*

RATIO. Quia impossibile est noscere locutionem, & non hoc ipso præsupponere loquentem, alioqui esset locutio sine principio. Universaliterque ratione relativâ cognita, saltem alio genere notitiæ, attingi debet id, ad quod est relatio.

ASSERO Quintò. *Dum cognoscitur Deus materialiter ut dixi & præsuppositivè, illa materialis & præsuppositiva Dei cognitio, est evidens evidentia scientiâ, licet non evidentia visionis.* Quod sit evidens evidentia scientiæ.

RATIO est. Quia omnis notitia demonstrativa evidens est; demonstratur autem, eum, qui loquitur, seu agit, esse; non erit tamen evidentia illa visionis: quia poterit necdum videri Deus.

DICES Primò. Nullus est intellectus proportionatus speciei, quæ manifestet Deum loquentem, imò & nulla species, quæ id præstare possit. Ergo asserta sunt falsa.

RESPONDETUR. Nullum quidem intellectum esse proportionatum speciei supernaturali, manifestanti Deum loquentem; potest tamen esse proportionatus per potentiam obedientialem: sicut est proportionatus per nos, ad possibilem speciem impressam Dei.

DICES Secundò. Si cognoscitur evidentè revelatio quod sit à Deo, & quod sit locutio

(k) 4

Dei:

Dei: non hoc ipso cognosci debet evidenter Deum esse: quia qui audit vocem Petri, non hoc ipso cognoscit evidenter Petrum loqui, nisi simul videat ipsum Petrum. Ergo & qui cognoscit Deum loqui, non nescit evidenter loqui Deum, nisi videat ipsum Deum.

RESPONDETUR. Negando quod cum cognosco evidenter loqui Petrum, non cognoscam illum esse evidenter, evidentiâ scientiâ. Rursus cum vox Petri sit imitabilis à Paulo, ita ut sensu, qui iudex vocis est, discerni non possit, sit, ut auditâ voce Petri, possit adhuc non inferri evidenter existentia Petri. Jam autem potest dari vox Dei, quâ sit inimitabilis à creatura; præcipue autem cum (ut dixi,) inferri possit, etiam in humanis evidenter Petrum loqui, si ita auditus discernat, & ostendant circumstantiâ evidentes, nullum alio loqui.

DICES Tertiò. Ipse actus fidei innititur non nisi obscuræ revelationi. Ergo cognitio etiam quidditativa actûs fidei, non poterit fundare cognitionem evidentem, revelationis Divinæ.

RESPONDETUR. Quamvis actus fidei, sit obscurâ revelationis divinæ cognitio, in genere causæ formalis motivæ fidei præcisè, non tamen est obscura, in ratione mediî cogniti, & illativi. Benè enim illa revelatio tanquam effectus, ad evidentiam usque ostendere potest existentiam causæ.

Punctum Difficultatis 1.

An positâ evidentiâ de revelatione, possit dari actus, Fidei.

DICENDUM est. *Possè dari actum fidei etiam positâ evidentiâ* (suppone scientiâ naturalis vel supernaturalis, modo illa non sit visio) *de revelatione Dei.*

PROBATUR. Primò. Quia id non implicat contradictionem, nec oppositum suadet auctoritas Sacra, vel Ratio.

PROBATUR. Secundò. Si positâ evidentiâ quod Deus hoc revelaverit, non posset esse actus fidei de revelatione; vel id esset ex ratione generica fidei, vel ex ratione specificâ, nempe fidei divinæ. Non ex ratione generica fidei, quia evidentia moralis, quæ habetur de veracitate Petri, & evidentia etiam physica quæ habetur de hoc, quod id Petrus dicat, non impedit, quominus adhuc ponatur actus fidei humanæ, & credatur, verè id Petrum dicere. Ergo apparet, quod id non sit ex ratione generica fidei; non etiam ex ratione specificâ; quia non est major ratio de fide humana ac divina. *Neque valet*, si dicas. Quod cum mihi constet evidenter Petrum id dicere, tunc non credo, quod id hoc dicat, sed scio. Non inquam valet, quia

quamvis non credam sed sciam hoc illum dicere; tamen adhuc possum credere, quod verè dicat. Ergo & in præsentia idem dicendum. Et sicut evidentia physica de dictione, & evidentia moralis de veracitate, non impedit assensum fidei humanæ; ita evidentia quæcunque minor certitudine fidei Divinæ, non impedit fidem Divinam.

PROBATUR Tertiò Communiter. Quando Apostoli audierunt in monte Tabor vocem e nube *Ipsum audire* evidens illis fuit, Christum audiendum esse, tali evidentiâ, qualis habetur dum ego audio, Petrum ante me loquentem. Et sicut non obest quominus ego dicar evidenter nosse Petrum, ante me loqui, quantumvis fieri possit, quod deludantur sensus mei; & sit non nisi phantasma aliquod loquens: sic etiam evidens erat Apostolis Deum hoc loqui; quantumvis subesse potuerit suspicio, quod esset demon qui illusurus Apostolis, eas voces formaret. Universaliterque fides hæc, non excludit evidentiam sibi improporcionatam, aliâ etiam excluderet evidentiam moralem & demonstrationem de veracitate Dei. Ergo excludit evidentiam non nisi proporcionatam, quæ nulla alia est, nisi visionis beatæ: sicut etiam fidei nostrat, proporcionata est certitudo visionis beatæ, & ab ipsomet Deo petibilis formaliter: ita & evidentia fidei proporcionata, erit non nisi evidentia visionis.

OBJICITUR. Primò cum Lugo Assensus genitus ex clarâ revelatione, non potest non esse assensus evidens objecti revelati, assensus autem ad quem ordinatur nostra fides, est assensus inevidens; ad quod respexit Hilarius 8. de Trinit. *non habet inquit veniam, sed premium, ignorat, quod credis.*

RESPONDETUR. Casu quo veracitati divinæ assentiamur evidenter, hoc sensu erit fides inevidens, quia scilicet assensus ille fidei, excludet proporcionatam certitudini evidentiam, & de hac loquuntur Patres. Loquuntur enim de evidentia simpliciter & sine addito, adeoque de proporcionata fidei; proporcionata autem est, non nisi evidentia visionis.

INSTAT idem. Si idem habitus sufficit ad assentiendum etiam revelationi claræ, non esset cur habitus fidei destrueretur in Beatiss.

RESPONDETUR. negando sequelam ob dicenda infra. Pronunc paritas non tenet; quia visionis evidentia, cum sit proporcionatâ certitudini fidei, illam censenda est negare fides; per proporcionatam evidentiam non intelligendo, quasi illam exigat fides, sed hoc sensu, quod sit evidentia tanta & tam adequata; atque magna est, ejusdem certitudo. Quod autem dicit idem Lugo ex Patribus: assensum fidei esse assensum liberum, quod etiam docet August. tract. 26. in Joann. *Multa potest inquit hominifera, credere autem non potest nisi volens.*

lens; & tamen assensus evidens, non est assensus liber, nisi forte in causa, liberè se applicando ad cogitandum de motivis. Id non convincit. Nam assensus fidei, est assensus liber, etiam positâ evidentiâ, liber scilicet ad assentiendum certitudine summâ; quamvis positâ evidentiâ, non sit liber in ordine ad assentiendum aliquâ certitudine. Ratio, quia illa evidentiâ non est summa; est tamen aliqua; si non est summa, non necessitabit ad actum summè certum: quia autem est aliqua, necessitabit ad aliquem certum assensum. Jam autem fidei assensus, cum debeat esse certissimus, fit, ut cum non necessitet ad illum, evidentiâ, quæ non est summa; casu quo exhibeatur assensus certissimus, non exhibebitur propter illam evidentiâ, nisi liberè; siquidem evidentiâ minor maxima, non meretur assensum certissimum.

OBJICITUR Secundò cum Recent. Suar. Ex Principio seu medio evidente, sequitur Conclusio evidens. Sed huiusmodi Conclusio DEUS est trinus, sequitur ex medio evidente, nempe ex hoc, Quidquid DEUS dicit est verum. DEUS dicit se esse trinum. Ergo est evidens; ac proinde non potest esse assensus fidei.

RESPONSUM. Ex medio evidente, evidentiâ proportionatâ certitudini fidei, non posse sequi assensum fidei; licet possit sequi ex evidentiâ minori.

Idem medius terminus sic proponitur. Positâ evidentiâ Divinæ attestations, inferitur evidenter objectum attestatum, ita se habere, sicut à Deo revelatur. Ergò de illo non potest esse fides. Antecedens probatur: quia quidquid per necessariam sequelam ex præmissis evidentiis inferitur, evidens est. Sed positâ evidentiâ attestations, inferitur esse id, quod revelatur; idque per necessariam sequelam ut patet in hoc Syllogismo. Quidquid DEUS testatur evidenter, evidens est, ita esse in se. Sed DEUM esse trinum & unum, evidenter DEUS testatur. Ergò Deum esse trinum & unum, est evidens in se.

RESPONSUM. Habendam tunc, evidentiâ, sed componibilem cum fide: quia non est summa & proportionatâ certitudini fidei.

INSTAT idem. Fides non solum credit objectum revelatum. Sed etiam revelanti; idque probat Autoritate S. Thomæ. Sed quando revelans est evidens, non potest illi credi: nam evidens cum sit, non manet objectum fidei. Ergò evidentiâ testimonii, & veracitatis illius, tollit fidem.

RESPONSUM. Si constet de revelante, evidentiâ proportionatâ certitudini assensus, non poterit circa illum revelantem, esse fides. Secus si sit evidens, evidentiâ improporionatâ certitudini. Quæ omnia respiciunt hoc principium. Quia si aliquid sit evidens, evidentiâ pro-

portionatâ certitudini, debet ad fidem; ipsum illud motivum & certificabit, & evidens erit, adeoque non habebitur, unde petatur ratione motivi obscuritas fidei.

OBJICITUR Tertiò. Positâ evidentiâ Divinæ attestations, assensus ex illa proveniens, non resolveretur ultimò in solam Dei Autoritatem; sed potius in quandam notitiam seu scientiâ à posteriori. Ergò non esset assensus ille fidei: quia hic, in solam Autoritatem Dei resolvitur; & si in aliud resolvitur; jam non est actus fidei: quia ad mutationem motivi formali, necesse est mutari actum; præcipue quia assensus fidei, debet esse certissimus: certissimus autem non esset, si in Autoritatem DEI non resolveretur.

RESPONDETUR. Sicut quando antecedit actum fidei evidentiâ motivorum credibilitatis, in ipso actu fidei, & assentiendi modo, secundum quem ex imperio voluntatis elicitur actus certissimus, intervenit virtualiter hic actus, quo dicat intellectus, se non ob illa motiva assentiri objecto fidei; Sic etiam in præsentî, intervenit virtualis actus, quo dicat intellectus, se non ob illa motiva assentiri objecto fidei, intervenitque virtualis actus, quo dicit intellectus, se paratum esse assentiri, etiam non habitâ eâ evidentiâ, modo aliunde constet id Deum dixisse. Intervenire autem tunc talem actum virtualem. Ratio est: quia actus fidei est actus certissimus, & quia illum certissimum, non ob illam evidentiâ producit intellectus, ut repetitò dictum: hinc potius sequitur ipsum motivum certissimum, & virtualiter dicit, se non sistere in iis motivis, quæ non sunt certissima.

Punctum Difficultatis 2.

An ex præcisa ratione testimonii, semper fiat assensus obscurus?

Affirmat Vasquez, cui ait Lugo consentire Turrianum & Lorcam. Negat Lugo & Recentior: Suarez cit. num. 306.

DICENDUM est. Accipiendo testimonium non nisi formaliter, & præcisè in illo sistendo, semper assensus propter illud exhibitus, est obscurus.

PROBATUR Primò. Quia testimonium præcisè, ostendit quidem se esse connexum cum objecto; aliàs & testaretur objectum ut supponitur, & non testaretur: quia testari non aliud est, quam illud connecti cum objecto, sed non ostendit prædicatâ connexionem inter se, ut inferius explicabitur. Ergò semper erit obscurus: illud enim omne obicium est, ejus prædicatorum connexionem in illo met ipso non advertimus.

PROBATUR Secundò. Pone quod demonstrari non possit, Deum esse veritatem primam in dicendo & cognoscendo: si pro motivo assumas Deum

Deum esse trinum, quia dixit se esse trinum, æquè obscurum hoc erit ante, nihilque indelucis & evidentiæ accipietur. Ergo apparet illam evidentiæ, non peti ex solo præcisè testimonio.

PROBATUR Tertiò à pari. Constat mihi evidenter esse aliquem bonum Mathematicum; dicat mihi se habere hanc vel illam demonstrationem, quam tamen ego in illamet ipsa non capio; certè testimonium ejus, non faciet assensum meum de illa demonstratione evidentem; quia illa testificatio, non manifestat objectum ut est in se, connexionemque prædicatorum cum seipsis. Ergo & omne testimonium idem faciet, ex paritate rationis. Omnes hæ probationes fundantur vel maxime in hoc negativo principio. Non apparet, quæ præcisè testimonium manifestet objectum in illo met ipso: & tamen evidens notitia, debet attingere prædicata & connexionem illorum met secum.

Per hoc tamen negatur, quod materialiter accipiendo assensum fidei, possit dari simul evidentiæ procedens ex alio motivo, de quo in Anamastica, & infra.

RESTAT adhuc explicare, quid hoc sit, rem esse evidentem per principia intrinseca & cur hanc intrinsecitatem non habeat Dei testimonium?

Nomine intrinseci principii non est hic accipiendum, id, quod est intrinsecum intrinsecitate constitutionis entis; aliàs res, non possent nobis innotescere, nisi vel per genus & differentiam, vel per materiam & formam: cum tamen dentur & demonstrationes à posteriori seu per effectus, & à priori, v. g. per causam effectivam & ejus applicationem. Sed nomine intrinseci accipiendum est omne illud, quod pertinet ad esse; sive tanquam principium effectivum, vel applicatio principii, sive tanquam principium constitutivum, sive tanquam effectus & passio, quam sibi determinat illud esse. Quod autem nomine principii intrinseci, id venire debeat; suadetur imprimis: quia nihil est magis intrinsecum rei; quàm esse illius. Imò hoc solum esse, est intrinsecum. Porro ipsum esse supponit & involvit non solum sua intrinseca; sed etiam principia agendi: est enim esse propter operari. Supponit item causam efficientem, quæ terminum non alium habet nisi ipsum esse intrinsecum, supponit item effectus, passiones: &c. fit ergo ut assumere talia, ad aliquod esse notificandum, sit sumere aliquid intrinsecum; hoc est intrinsecè in illo met ipso manifestativum. Universaliterque nomine intrinseci venit: quod nexum prædicatorum, ipsius esse, in seipso, quà tali, ostendit. Suadetur idem à posteriori: quia quæcumque vera demonstratio habetur de objecto, semper procedit ex aliquo illo genere nominatorum; hinc enim quando volo demonstrare, quidquid Deus dicit est verum,

accipio pro principio v. g. quod Deo debet competere omnis perfectio: in qua demonstratione assumitur aliquid intrinsecum Deo. Cum ergo testimonium divinum quò tale præcisè in ratione testimonii spectatum; neque sit principium rei effectivum, nec constitutivum, &c. hinc fit ut præcisè testimonium, non sit motivum intrinsecum. Denique, ut res nobis connexionem prædicati & subiecti, in objecto illo reperibilem; & non solam connexionem testimonii cum objecto: quia hæc connectio, solum manifestat, quòd res sit manifestata: non autem manifestat connexionem prædicati & subiecti in se.

OBJICIT Primò Lugo. Si principium intrinsecum, sit illud, quod est intrinsecum in seipso, ut essentia vel passio: certum est non requiri hujusmodi principium ad evidentiæ Conclusionis. Nam plures demonstrationes à priori, fiunt per causam efficientem. Si verò per principium intrinsecum, solum significetur aliquod medium, habens connexionem cum objecto Conclusionis, per aliquam habitudinem intrinsecam; talis habitudo reperitur, dum assentimur objecto, quia Deus dixit propter hunc Syllogismum. Omnis revelatio Dei est vera. Deus revelat Incarnationem. Ergo Incarnatio est vera.

RESPONDETUR. In assensu fidei materialiter accepto, haberi medium dicens connexionem cum objecto Conclusionis, idque per intrinsecam habitudinem, non tamen haberi in assensu fidei formaliter accepto. Materialiter tunc accipitur assensus fidei, quando accipitur assensus circa objectum fidei, licet non ex motivo fidei; seu ex ly *Deus dixit* formaliter accipitur assensus fidei: cum innititur præcisè ly *Deus dixit*. Porro in assensu fidei materialiter accepto, reperitur habitudo mediæ ad objectum eaque intrinseca; quia illi propositioni Omnis revelatio Dei est vera, præbatur assensus, propter ulterius motivum demonstrativum; ita ut rectè à posteriori colligi possit rem ita se habere: quia illam ita se habere Deus dixit. Jam autem in assensu fidei formaliter accepto, non reperitur intrinseca habitudo mediæ ad objecta: quia illi propositioni, Omnis revelatio Dei est vera, in assensu formali fidei, præbatur assensus, propter Ly: quia Deus dixit, & tamen ly *Deus dixit*, nihil omnino evidentiæ & claritatis adfert. Et sicut si detur Professor Mathematicæ, ut dictum, de quo constet evidenter moraliter, quòd sit bonus Mathematicus; si dicat ipse diametrum quadrati esse majorem costâ quadrati, nihil evidentiæ accrescet; idque ex eo: quia motivum præcisum *dixit* non ostendit connexionem prædicatorum: si autem demonstraret idem, tum primum accrescet evidentiæ; ita & in presenti. Ponè enim non demonstrari quòd DEUS vera dicat & dicere de-

debeat; quid evidentia accrescet si dicat se verum dicere?

INSTAT Primò idem. Sicut ex vehementi operatione ignis, evidenter noscitur ejus applicatio, per demonstrationem à posteriori: sic etiam per similem demonstrationem, colligimus veritatem Incarnationis, ex revelatione clara, per intrinsecam & necessariam habitudinem, quam revelatio habet ad suum objectum.

RESPONDETUR. Revelationem habere habitudinem claram, quòd suum objectum manifestet; sed non ostendit clarè, innitendo ipsi ly Deus dixit, connexionem prædicatorum objecti, in illomet ipso.

INSTAT Secundò idem. Evidentia intellectualis, prout condistinguitur ab inevidentia, non potest in alio consistere, nisi in hoc, quòd intellectus convincatur ab ipso objecto, & necessiteretur ad assentiendum: sed quando deducitur Conclusio ex revelatione evidenti, convictus manet intellectus. Ergo.

RESPONSUM. Quando deducitur Conclusio ex revelatione evidenti, assumendo alia principia, in quæ tanquàm in motiva non resolvitur fides, infertur evidenter objectum, & per medium, dicens saltem à posteriori, intrinsecam habitudinem medii cum objecto. Quod si assumuntur præcisè principia, in quæ resolvitur fides, non assumitur medium dicens intrinsecam habitudinem cum objecto, sic v. g. fitalicui ignota hæc propositio: Omnis revelatio DEI est vera: si probem illam per hoc, quia Deus dixit, omnem revelationem suam esse veram; æquè est ignota hæc propositio, hoc medio assumpto, ut erat ante; nec enim assumptum est quidquam, quod diceret intrinsecam habitudinem medii cum objecto. Quod si demonstras id aliunde, tum primùm assumes medium dicens intrinsecam habitudinem ad objectum, adeoque aliud clarum.

INSTAT Tertiò. Posito assensu evidenti utriusque Præmissæ, & notitiâ evidenti de bonitate illationis; veritas Conclusionis non potest manere simpliciter obscura. Ergo etiam posito, quod utraque Præmissa sit evidens; non manebit Conclusio obscura, alioquin intellectus, saltem secluso imperio voluntatis, posset dissentiri. Et certè, sicut ex vero non potest sequi nisi verum; sic ex evidentibus, non potest sequi nisi evidens.

RESPONDETUR. Ex dictis, negando scilicet quòd si assentiatur præmissis assensu formaliter fidei, & præcisè ex hoc motivo, quia Deus dixit, evidenter nos assentiri; licet aliunde, & non titulo fidei, possit haberi evidentia.

OBJICITUR Secundò. De facto dari potest actus qui sit ob testimonium, & tamen sit evidens: quia casu, quo sit evidens Deum aliquid dicere; erit ille actus propter dictionem Dei; & tamen erit evidens: si enim non esset evidens,

tunc & esset evidens illud Deum dicere, & non esset evidens: esset quidem evidens, ut supponitur; non esse autem: quia evidentem actum non principialet.

RESPONDETUR. Casu quo mihi sit evidens aliquid Deum dicere; erit ille actus evidens quoad hoc, quod hoc Deus dixerit; non erit tamen evidens evidentia clarificante connexionem prædicati cum subjecto. Unde distinguendæ sunt hæc duæ propositiones: Evidens est Deum dicere, quod sit trinus: & Evidens est Deum esse trinum, ex eo præcisè, quia Deus dicit; illa prior in dicto casu erit vera, posterior falsa. Ulteriùsque distinguendæ sunt evidentia. Una quæ sit intransitiva, & sui, de se; & alia transitiva quæ sit sui, & aliorum. Evidentia quæ habetur quòd hoc DEUS dicat, est evidentia sui & de se, sed non est evidentia sui & aliorum. Unde ulteriùs cum mihi evidens est testimonium; illud testimonium non est respectu sui extrinsecum, sed intrinsecum, adeoque non est illuc evidentia, præcisè ratione alicujus extrinseci: neque enim testimonium de seipso restatur, sed manifestat se. Et tamen in præsentia quæritur de testimonio, non comparato ad seipsum, sed de comparato ad objectum.

INSTABIS. De facto in cælo videtur clarè objectum, & tamen non nisi ex præcisa ratione testimonii Divini.

RESPONDETUR. Negando antecedens. Videtur enim objectum, non ex præcisa ratione testimonii, sed quia stat simul cum visione, quæ visio est manifestativa prædicatorum intrinsecorum, & veritatis, ut est in se.

OBJICIT Tertiò Recent. Suar. Veracitas Divina est medium intrinsecum rei dictæ. Quod ipsum probatur. Quia veracitas Divina includit duo: Veritatem in cognoscendo, & Veritatem in dicendo. Jam autem veritas in dicendo & cognoscendo, habet intrinsecam connexionem cum re dicta. Veritas enim in cognoscendo, cum sit cognitio rei revelatæ, est quædam illius representatio: ac proinde habet intrinsecam connexionem cum representato: Veritas etiam in dicendo, cum sit virtus naturalis; habet necessariam connexionem cum objecto.

RESPONDETUR. Veracitatem divinam esse medium intrinsecum, saltem à posteriori rei noscendæ. In quantum illa ulteriùs demonstrari potest; sed non ex præcise prædicato testimonii.

Punctum Difficultatis 3.

An Fides stet cum visione beatifica?

NON est quaestio: An de facto fides stet cum visione beata. Consentiant enim Theologi de facto visionem beatam non stare cum fide ex 1. ad Corinth. 30. ubi dicit Nos nunc videre in speculo, & in ægminate; tunc autem facie ad faciem: & tunc evacuabitur inquit quod imper-

imperfectum est. Estque hæc positio Communis Theologorum. Adducit tamen Valentia hinc disp. 1. quæst. 5. punct. 2. Auctoritatem Irenæi ex lib. 2. c. 47. & ex lib. 4. c. 25. *Paulus inquit omnibus cæteris evacuatis, manere fidem, spem, dilectionem.* Similia habet Tertullianus. Sed eo loco non docet Paulus quod fides sit mansura in cælo, dicit enim quod non sumus visuri in ænigmate, & quod evacuandum sit id quod imperfectum est. Ly autem *Nunc* positum referendum est, non ad vitam futuram, sed ad præsentem. Autoritas autem Irenæi hoc solum vult, quod fides sit mansura, secundum communem rationem assensus firmi. Utenim loquitur lib. illo citato. *Fides quæ est inquit ad Magistrum nostrum, permanet firma.* Nec est item difficultas in hoc: an de facto maneat habitus fidei in Patria. Consentiunt enim Theologi, de facto non manere: colligiturque id ex illo Apostoli loco. Suadentque congruentiæ. Quia habitus fidei in ordine supernaturali, datur per modum intellectus supernaturalis, supernaturali notitiæ noscitur; & quia succedit lumen gloriæ, non erit tamen necessitas habitus fidei. Datur idem fides habitualis, ut præluceat meritivæ voluntati supernaturali; quia autem in cælo nullum meritum; & quia prælucescentia hæc actibus voluntatis, perfectius haberi potest à lumine gloriæ; sit ut desinat necessitas habitualis fidei. Tota difficultas est; An de potentia absoluta possint secum stare visio & fides? Affirmat Suarez Hurtadus Koninck hinc disp. 11. dub. 1. Arriaga. Petrus à S. Joseph. & alii. Negat Lugo disp. 17. Sect. 3. num. 27. Amicus cum distinctione hinc disp. 11. Sect. 2. & alii.

DICENDUM est. *Non apparere implicantiam, quare cum visione, non possit stare fides.*

PROBATUR Primò. Quia nulla adferri potest in hoc implicantia.

PROBATUR Secundò. Quia per nos possunt secum stare divinitus forma rationalis, & irrationalis in eadem materia. Peccatum item & gratia in eadem anima; & alia similia. Ergo etiam poterunt secum stare fides & visio.

PROBATUR Tertiò. Ea solum non possunt secum stare, quæ contradictoriè opponuntur, qualis non est oppositio inter visionem & fidem; quia & sunt formæ seu actus positivi; & non procedunt ratione ejusdem, licet procedant de eodem. Semper enim alietas erit, in ratione modi movendi.

Quod attinet ad Fidem habitualem.

OBJICI potest Primò. Ex Lugone: Quia scilicet ille habitus esset otiosus in Patria: ratione enim status beatifici, cui obscurus assensus repugnat, nunquam potest elicere actum suum.

Cum ergo habitus non conservetur nisi in ordine ad operandum, cessante hoc fine, non potest servari talis habitus.

RESPONDETUR. Hanc congruentiam ostendere, quod de facto non maneat habitus fidei in Patria; quia tamen non esset essentialiter frustra, adeoque non otiosus essentialiter; posset enim saltem divinitus principiare actus fidei, manereque in testimonium militantis Ecclesiæ; ad eum plane modum quo Milites etiam senes, servant arma quibus usi; Rursus non pauci Doctores docent in Patria manere fortitudinem, & tamen nulla illic adversa quæ tolerentur, docent manere castitatem, & tamen illa nulla rebellio corporis. Ergo necessaria est ulterior restrictio, quod etiam de facto aliquis habitus non detur. Imò posset aliquis etiam presentis habitus fidei invenire necessitatem in Patria, ad credendum scilicet ea, quæ aliàs à Sanctis non videntur, & tamen revelantur.

OBJICITUR Secundò ex Epdema. Habitus infusi producuntur & servantur ad exigentiam gratiæ. Cum ergo gratia in cælo ex natura sua exigat perpetuitatem, & inamissibilitatem illius status; per consequens exigit, quod habitus fidei nunquam amplius operetur; cessante autem hac exigentiâ gratiæ; imò posita exigentiâ ejusdem gratiæ contrariâ, non posset jam Deus conservare habitum fidei.

RESPONDETUR. Non implicare contradictionem ut servetur habitus fidei, etiam sine illa, imò & contra exigentiam gratiæ. Negatur item quod fides stare non possit, etiam cum inamissibilitate gratiæ.

OBJICITUR Tertiò. Beatitudo est status omni aggregatione bonorum perfectus; quod falsum esset, si in Beatis haberetur fides: haberent enim obscuritatem & inevidentiam, quæ secum trahit aliquam formidinem.

RESPONDETUR. Beatitudinem esse statum omni aggregatione bonorum perfectum, sed sibi debitorum. Negatur autem esse debitorum, idque per exigentiam indispensablem, ne sit habitus fidei in Beatis. Argumentum ut sonat, multum probat: probat enim quod nihil sit, quod non videant Beati in Deo, eò quod ignorantia excludatur à statu omni aggregatione bonorum perfectò.

OBJICITUR Quartò. Sublato & impossibili reddito, ex suppositione objecto formali attributionis alicujus habitus, & ipse habitus ex suppositione illa impossibilis redditur: sicut etiam si simpliciter objectum formale attributionis redderetur impossibile, redderetur simpliciter impossibile ille habitus. Sed in Beatis, ex suppositione, redditur impossibile formale objectum attributionis fidei, nempe veritas prima obscurè attestans. Ergo.

RESPONDETUR. Negando minorem: quia diverso respectu potest esse veritas prima nota, diverso

verbo respectu potest esse obscura; adeoque manere objectum attributionis.

OBJICITUR Quintò. Communis est sententia manere habitum fidei in Beatis.

RESPONDETUR. Illam procedere de eo, quod de facto est: idque ex congruentiis supra allatis, non autem de eo quod possibile est.

Quod attinet ad compossibilitatem actus fidei & visionis in contra.

OBJICIT PRIMò Amicus. Quia forma testimonium fidei, nullam novam cognoscibilitatem adfert objecto, viso in Verbo ut in objecto clarè manifestante. Nam ita videre objectum in verbo, est videre illud ut in attestante: est enim visio Beata, clara quædam locutio: & sicut unus Angelus loquitur alteri manifestando illi secretum cordis sui; sic Deus loquitur Beato, manifestando illi intima sua, quod agnoscit Psalm. 88. *Locutus es in visione Sanctis tuis.* Ergo cum obscurum testimonium, præter attestationem Dei, quæ est formale motivum, nihil adferat, nisi puram negationem evidentiæ, quæ idonea non est ut intellectum moveat ad novum assensum; nullam novam adfert cognoscibilitatem, ratione cuius possit intellectum beati ad novum assensum movere.

RESPONDETUR. Negando quod implicet contradictionem, duos actus simul esse, quantumvis unus non adferat novam cognoscibilitatem. Et si non implicat duos actus simul esse de eodem objecto, & ex eodem motivo, planè non nisi solo numero differentes; non implicabit etiam simul esse actus duos, quantumvis nullam novam cognoscibilitatem, alter, adferat objecti. Et sicut non implicat contradictionem informari subiectum duabus albedinibus; quantumvis una nihil plus adferat, quod non habeat altera; sic nec implicabit simul esse duos actus, quantumvis unus in circumstantia aliis, nullam novam cognoscibilitatem adferat: allatus cæteroqui, si hic alter abesset. Sed pone implicare contradictionem duos actus non adherentes diversam cognoscibilitatem simul secum stare: id non nisi verum esset tunc, sineque quoad modum; diversa esset cognoscitivitas in altero actu. Certè autem actus fidei, diverso, quia obscuro modo, attingit objectum, quo modo, non attingit visio. Unde & illic diversitas est, in modo attestationis.

OBJICITUR Secundò & Koninck Finis agentis est, per formam productum assimilare sibi passum: hinc nullum agens potest naturaliter ullam formam producere in Subiecto, quod jam est actuatum ante aliquam formam; quæ naturaliter vel eminenter, continet perfectionem illius formæ: Nam calidum ut duo, non potest calefacere ut quatuor. Quod si agens reperi-

at formam quæ ex parte continet perfectionem formæ inducendæ, adhuc agens; modo subiectum sit capax formæ, potest in illud agere; sic calidum ut sex, potest calefacere ut quatuor. Cum ergo tota perfectio quæ haberi potest ab actu fidei, reperiatur in visione, non potest cum illa stare fides. Visio autem potest supervenire fidei: quia visionis perfectionem non nisi inchoatam, continet fides.

RESPONDETUR. Argumentum probare, quòd id fieri non possit naturaliter. Nam non est dubium, quòd calidum ut duo, possit agere miraculosè in calidum ut quatuor. Rursus argumentum multum probat: quia probat abstractivam noticiam de Deo, non posse stare cum visione: continet enim perfectionem abstractivæ, visio. Quod si abstractiva notitia & visio ex eo secum coherere possunt: quia alio modo, idem attingit abstractiva; poterit etiam stare fides cum visione: convenit enim etiam illi, aliteras modi agendi, à visione. Addit Lugo, quòd si applicetur calidum ut duo, ad calidum ut quatuor, simul utrumque agere potest. Ergo stando in similitudine, si non præcedat visio fidem, & principia simul utrisque applicentur, poterit esse simul visio & fides.

OBJICITUR Tertiò ex Lug. cuius Argumentum sic disponi potest. Implicat quòd intellectus moveatur ad aliquem assensum sine motivo sufficienti: Sed posita visione, non habetur sufficienti motivum fidei: quia hæc repugnantia non est repugnantia ex solo defectu virtutis in causa efficiendi, sed ex ipsa repugnantia formarum; ut posita plenà possessione, boni, non potest procedi ad desiderium ejusdem, vel electionem mediorum, quibus illud bonum procuretur. Ergo etiam posita plenissima possessione veri, in seipso immediatè, non potest dari usus medii, ad id verum comparandum. Ergo nec posita visione, quæ est possessio veri, potest dari fides, quæ est quasi usus medii ad eundem finem. Ergo ulterius posita visione, non datur sufficienti motivum fidei.

RESPONDETUR. Concesso, esse illic repugnantiam ex parte ipsarum formarum, quæ sunt fides & visio; nego esse repugnantiam indispensabilem. Quod attinet ad Antecedens: non demonstratur in hoc argumento, cur eo tempore, cum de facto possidetur bonum, non possit saltem divinitus presentari ut acquisibile: quo casu, cur non poterit etiam elici desiderium. Cur item quando habetur gaudium de possessio bono, non possit dari species, illud representans ut futurum? & cur Deus determinare non possit, & ad habendam hanc speciem, & ad habendum actum desiderii.

OBJICITUR Quartò. Implicat idem affirmari & negari de eodem, & ratione ejusdem; in his enim stat verè contradictio. Sed cum visione staret fides, affirmaretur idem & negaretur de eodem

(1)

eodem, & ratione ejusdem: Nam affirmaretur tunc & negatur ly evidens de eodem objecto, & ratione motivi ejusdem, nempe veritatis primæ, quæ est motivum formale fidei & visionis. Jamque eadem v. g. essentia Divina & esset Beato evidens, & inevidens, ratione ejusdem motivi, hoc est veritatis primæ attestantis.

RESPONDETUR. Quod ex vi quidem ejusdem veritatis primæ, competeret idem objectum videri & non videri, sed competeret ex vi ejusdem veritatis, aliter, & alio modo se habentis. Nempe clarè se manifestantis per ordinem ad visionem, & obscurè attestantis per ordinem ad fidem. Ad eum modum, quo si Sanctus superior dicat inferiori, se aliquid videre in Deo; inferior potest asserenti credere; & tamen credendo attinget veritatem primam obscurè attestantem; quam aliàs ipse clarè videt.

INSTABIS. Hoc ipsum esse quod negatur eandem veritatem primam, respectu ejusdem, posse se habere clarè manifestantem, & non clarè manifestantem. Sicut implicat idem lumen corporale, respectu ejusdem illuminare, & non illuminare, quamvis respectu diverſi objecti, possit non illuminare.

RESPONDETUR. Negando hoc ipsum implicare, quod instantia dicit implicare, restatque probandum. Universaliter autem non sufficit ad contradictionem, ut de eodem verificentur prædicata; sed debent verificari ratione ejusdem, non utcunque, sed eodem modo sumpti, quod hic non habetur. Illud de lumine non tenet: quia non habetur alius ullus modus applicandi luminosi subjecto capaci, & dispositio nisi illuminando. Jam autem sunt varii modi, quibus se applicat veritas prima.

INSTABIS Secundò. Ex præcisa hac additione, quod id faciat veritas prima, alio modo, seu diverſo respectu, salvaretur, quod non repellantur duo contradictoria; dicam enim possibilem esse hircocervum, qui diverſo respectu erit hircus, diverſo respectu cervus.

RESPONDETUR. Negando sequelam Disparitas est. Quia illic ille hircus, esset non hircus ratione ejusdem realitatis, ad quam realitatem in dicta contradictoria attendi debet; adeoque esset adhuc illa entitas hirci, in seipsa, non entitas hirci. Jam autem in præſenti, eadem quidem realiter veritas esset clarè & non clarè repræſentata; sed ratione diverſi modi, & penes quem solum modum, versatur in præſenti tota quæstio. Nec sequetur eandem veritatem primam esse in entitate claram; & in entitate non claram: sed tota diversitas erit, extra illam entitatem, spectabiturque penes extrinsecam, hoc est actus clarè & non clarè repræſentantes veritatem primam, & ipsam veritatem clarè & non clarè attestantem.

INSTABIS. Impossibile esse videri idem oculo corporeo, & non videri oculo corporeo. Ergo

impossibile eriam erit videri idem visione beata, & non videri visione beata.

RESPONDETUR. Disparitatem ex dictis esse: quia non dantur plures modi versandi in visiva, nisi sola visio; hinc si poneretur non visio, esset merè non nisi sublativa visionis. Dantur autem plures modi versandi intellectus. Unde non visio, poterit non procedere ad tollendam visionem, sed includi in alio non nisi ad diverso positivo: positivorum autem, non est contradictio. Quando recurritur, quod hæc sint consequenter contradictoria, ostendi id non potest. Beneque defenditur, contradictoria consequenter non alia esse, nisi quando termino positivo, exprimitur formalitas negativa, qualis est oppositio consequenter ex modo significandi contradictoria, inter tenebras & lucem.

DIFFICULTAS II.

An fides stare possit cum evidentia extrinsecorum Fidei?

Titulus jam est supra explicatus. Sed ut præſens difficultas & subsequens penetrantur, consulenda erunt in simili dicta in Aristotelicis.

Non est tanta difficultas, An idem possit esse creditum & sensu perceptum: nam Apostoli credebant Christum habere verum corpus, hocque ab ipsis exigebat Christus, & tamen ipso Christo monente, ut roborarentur in fide, palpabant & videbant, quoniam Spiritus carnem & ossa non habet. Nec est item tanta difficultas: An qui habet demonstrationem de aliquo objecto, possit successivè de eodem, exercere actum fidei; aliàs nemo Philosophus, posset credere Deum esse. Et si fidei potest succedere visio beata: cur eidem v. g. scientia non possit succedere? Nec item est tanta difficultas: An simul possint stare habitus fidei & habitus scientiæ de eodem objecto, aliàs in Metaphysico adulto, baptismus una cum ejus dispositionibus, non adferret habitum fidei. Et si potentia amandi & non amandi, inarra eandem entitatem voluntatis conjungi possunt, cur non poterunt conjungi habitus Metaphysicæ & fidei, qui sunt distincti.

Neque valet si dicas. Non possunt simul esse actus fidei & scientiæ. Ergo nec habitus: quia quorum habituum actus inter se pugnant, illorum etiam actuum habitus, inter se pugnant. Concedo enim inter illos habitus pugnam; sed non per incompatibilitatem; consimilemque, qualis habetur caloris & frigoris in tepido. Unde non potest esse simul v. g. actus amoris Divini, & actus voluntatis homicidii; nihilominus latro conversus; potest habere habitum amoris Divini; & simul habitum illius voluntatis

ratis, cum qua pugnet; quando autem peccator perdit habitus infusus per peccatum mortale, id non procedit ex repugnantia habituum inter se, sed ex connexione quam habent cum gratia, tanquam perfectiones illius. Sicut ergo perditur forma & radice passionum pereunt passionibus; sic sublatâ gratiâ, tolluntur alii habitus infusi, qui gratiam tanquam passionibus suam radicem consequuntur.

Major est in hoc difficultas. An possit simul esse actualis scientiæ evidentia, cum actuali fide, eique conjuncta inevidentia? Quæ ipsa difficultas adhuc subdividi potest. An fides possit simul componi cum evidentia, inclusa, nonnisi in scientia abstractiva? In quo puncto ordinariè affirmant nostri, exceptis Molinâ & Foscâ. Negant autem Thomistæ, contra quos pluribus post alios agit Ripalda.

Quod fides possit componi cum actu scientiæ, seu notitiæ evidenti. Ratio est. Tum quia Angeli videndo Deum visione beata, possunt eundem abstractivè cognoscere in creaturis; adeoque componere cognitionem non intuitivam cum intuitiva. Ergo & fides componi potest cum notitiâ evidenti. Tum quia possumus discursu evidenti cognoscere, quod visione materiali confusâ, discernere non valemus, componendo tum temporis notitiam evidentem & obscuram. Ergo etiam poterit componi simul fides & evidentia. Tum quia illa oppositio actûs fidei, & alicujus evidenti actûs, nec habetur ratione objecti; supponitur enim idem esse actûs utriusque objectum. Nec ratione motivi: quia unus actûs procedit per principia intrinseca, & alius per extrinseca; hæc autem nullam inter se oppositionem dicunt. Quæ opponuntur in contra ex autoritate, id solum volunt, quod quantum ex vi & motivo fidei, nihil appareat evidens; vel quod, non stent secum evidentia beatitudinis, cum actûs fidei. Quando autem dicit Gregorius: fidem non habere meritum, ubi humana ratio præbet experimentum: id eo sensu accipi debet, quod scilicet non habeatur tantum meritum: majus enim est si credatur id, quod ratio non demonstrat. Quando item dicunt Patres aliud S. Thomam vidisse, aliud credidisse, illi hoc solum volunt, quod visio non fuerit ratio & motivi credendi. Alii Patres instabant contra Manichæos qui dicebant nihil esse nobis credendum, quod non videmus. Cui errori, ut se opponerent Patres, dicebant: fidem non esse eorum quæ videntur; non quod non possit esse etiam eorum quæ videntur, sed quod non debeat esse tantum eorum, quæ videntur, Unde Sancti Patres non dicunt non potuisse credere S. Thomam illud quod videbat; sed attenderunt maximè ad verba illius: Dominus meus & Deus meus; ubi omnino nihil dicendo de corpore Christi, quod videbat; solum explicuit fidem de ejus Divinitate. Unde & aliud vidit,

& aliud credidit seu professus est. Hinc & laus est Apostoli, quod id, quod non vidit crediderit: nempe sui Domini Divinitatem, licet non negent Patres credere illum potuisse, etiam id, quod videbat. Nec ex verbis illis Christi: *Beati qui non viderunt & crediderunt*, quidquam in contra elici potest, quia etiam respectu objectorum sensuperceptorum fides & libera & meritoria est: non videndoque visione proportionatâ certitudini, semper creditur, quantumvis qui credunt quod vident, non sint beati, hoc est excellenter credentes. Conungi autem posse evidentiam, cum creditione, vel ipsa illa verba ostendunt. *Quia vidisti me Thomas credidisti.* Paritas illa quod scilicet lux minor, non illuminet, illuminante majore, per aliquos non tenet. Ratio: quia nihil habet lux minor, quod simili modo non exhibeat lux major: habet autem fides aliquid, quod non exhibet scientia: quanquam aliqui negant etiam Antecedens; hæc & plura alia Ripalda.

Restat difficultas. An fides simul stare possit cum evidentia intuitiva. Negat Suar. Vasq. Koinck, Hurtadus, Turrianus. Granadus, Lugo. Affirmant alii inter quos Arriaga. Mediam quasi sententiam tueretur Ripalda hic disp. 12. n. 65. quod scilicet stare quidem hæc duo possint, sed regulariter non stent.

Dicendum est. Posse stare fidem cum notitiâ intuitivâ.

PROBATUR Primò. Quia id non implicat contradictionem.

PROBATUR Secundò. Tum quia quæcunque in hoc repugnantia ostendetur, illa tantum evincet, idem esse visum, & non visum; hoc autem ad contradictionem non sufficit: quia contradictio non petitur ex hoc, ut subjectum sit idem contradictorii prædicati: quia etiam non contradictoriorum; potest esse idem subjectum; per hoc ergo, quod est commune, etiam non contradictorius, non potest aliquid statui, in ratione contradictorii. Jam autem visum & non visum, erit nonnisi subjectum, vel si mavis dicere objectum, circa quod versabitur fides & intuitiva. Tum quia contradictorium ut sic stat in esse & non esse. Ergo & particulare contradictorium, stabit in particulari esse, & particulari non esse. Jam autem quæcunque positiva, non se habent sicut esse & non esse; hoc ipso enim non essent positiva. Si autem non se habent sicut esse & non esse. Ergo contradictoria non sunt. Jam autem actûs fidei, & visionis seu intuitivæ (hæc enim duo in præsentia pro eodem sumuntur; sumique & aliâs possunt, in quantum accipitur evidens distinctum ab intuitiva), sunt formæ positivæ; adeoque non se expellunt contradictoriè. Tum quia ut urget Ripalda. Salletem fides præcedens tempore vel naturâ, potest connaturaliter cum quavis evidenti notitiâ & intuitiva componi. Quod ipsam probat: quia à

somno excitatus, credo diem esse; quia socius me excitans id mihi testatur. Deinde apertâ fenestrâ video diem lucem, nec discedo tunc à fide: quia veritas testimonii comperta, potius advocat assensum illius, quàm ab illo revocat.

PROBATUR Tertiò. Restaurando rationes, quibus solutionis aptavit Esparza.

PRIMA Ratio est. Quia plures ex his qui accedunt ad Deum, cognoscunt evidenter ipsum existere; & nihilominus credunt ipsum; juxta illud: accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se, remunerator sit.

RESPONDET Esparza. Non de accessu imperfectissimo per effectum loqui Apostolum, cujusmodi accessus nec demoni deest. Sed loquitur de accessu perfectiori, & supernaturali: nempe ut ad Justificatorem, & Glorificatorem. Unde etiam quando Philosophus dicit. Credo in Deum. Subly Deum respondet conceptus Deitatis proprius fidelium, qui sub eo nomine complectuntur principium & ultimum finem supernaturalium.

CONTRA. Tum quia quod attinet ad ipsum locum condistinguit Apostolus, esse Dei, ab esse remuneratoris: quæ duo confundit prædicta doctrina. Tum quia quamvis agat Apostolus de accessu perfecto, hoc est supernaturali; quæ re restat quare circa, conceptum illum fidelium proprium de Deo, qui à fidelibus exercetur actu supernaturali, quare inquam non possit simul exerceri circa idem objectum, actus naturalis, ita ut uterque actus, se compatiatur. Tum quia ipsum illud esse, prout est prius formalitate justicatoris & remuneratoris, vel potest à fidelibus credi, vel non potest. Si non potest; cur non? Si potest; cum illud antecedens esse, attingat demonstratio Metaphysica; quare, illa, cum actu fidei componi non possit. Et certè, vel potest Deus dicere se existere, vel non potest dicere. Si non potest; Ergo non dixit. *Ego sum qui sum.* Si potest dicere. Ergo & nos id credere possumus, alias daretur dictio DEI, quæ non posset mereri assensum fidei; & tamen de illo ipso existere, dantur demonstrationes; quæ, non est ratio, cur non possint componi cum fide.

SECUNDA Ratio est. Evidentia credibilitatis mysteriorum nostræ fidei, est de fide, & tamen etiam est evidens. Ergo simul & sciuntur & creduntur.

RESPONDET Esparza. Est quidem de fide dari motiva credibilitatis de se evidentia moraliter, nihilominus non est de fide adesse mihi hîc & nunc, evidentiam credibilitatis convenientis. Versantur ergo circa diversa formaliter, evidentia & revelatio; discernuntur autem cognitiones directæ & reflexæ, universales & particulares, circa tempus & personas, quæ semper inducunt diversitatem formalem inter objecta fidei, & objectum & scientiæ de credibilitate.

CONTRA. Tum quia concedo illas duas propositiones prout sunt formatæ ab Esparza: distinctas; sed quærere restat circa primam: tum evidentia motivorum credibilitatis potestne circa illa vertari fides & notitia evidens. Si potest vertari habetur intentum. Si non potest vertari. Ergo vel nec est de fide, testimonium Dei credibilis esse; vel non est evidens moraliter, quod est evidens moraliter. Tum quia sufficit diversitas in actibus, petibilis, à ratione flexa: vel directæ notitiæ, ita ut illæ circa idem compati se possint. Ergo & diversitas motivorum, adferentis evidentiam, & non adferentis evidentiam, erit sufficiens, ut actus illis innitentes, se compatiatur. Tum quia per nos ex dictis supra revelato universali revelantur particularia. Ergo poterit esse alicui hîc & nunc de fide, quod habeat evidentiam motivorum credibilitatis, & tamen simul experietur notitiâ evidentiam illam habere. Ergo fides & talis notitia compatiabiles sunt.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIT Primò Koninck. Non potest agens in subiecto, inducere formam, quam invenit formaliter vel eminenter inductam. Unde calidum ut duo non potest facere calidum ut quatuor. Evidentia autem continet evidenter notitiam fidei.

RESPONDETUR. Majorem tunc esse veram, quando præter continentiam eminentialem, nihil aliud habet formam quæ inducenda est. Jam autem fides præter continentiam sui eminentialem in notitia intuitiva, adfert alietatem modi noscendi: hinc aer illuminatus quantumvis contineat eminenter calorem potest calefieri: quia ipse calor adfert aliquid speciale præter sui continentiam eminentialem; quanquam si evidentia ista sit ex principiis naturalibus, ad qualem hîc maxime attenditur, negatur contineri in tali evidentia eminenter fidem. Rursus aliud est loqui de formis physicis aliud de intentionalibus, veraque erit major de solis formis physicis hæc enim ut inducantur multa requirunt: v.g. ut non fiat actio in simile, ut sit capacitatis subiecti non impleta, ut operatio fiat ab excessu, &c. similia; quæ quando non habentur induci non potest forma. Et quia formæ intentionales à tot conditionibus non dependent, bene potentia illas in se inducere poterit, comparique illas. Denique major falsa est, saltem de potentia absoluta.

OBJICIT Secundò Suar: Superfluitatem abhorret natura, superfluous autem esset assensus fidei, quando habetur evidentia.

RESPONDETUR. Saltem hæc superfluitas non erit insuperabilis absoluta potentia, quæ etiam duos calores, solo non nisi numero distinctos,

ctos, inducere potest. Et si res procedat de assensu naturali, non superfluet fides divina, quia adfert maiorem longè certitudinem.

OBJICITUR Tertiò. Tunc intellectus utitur medio ad assequendam veritatem, quando aliquà ratione abiens est, & non perfectè possessa; sicut est voluntatis natura, non eligere medium ad assecutionem boni, nisi illud abiens sit.

RESPONDETUR. Divinitus saltem posse esse revelationem, etiam si bonum præsens sit, naturaliter etiam id fieri potest, si perfectò modo non possideatur objectum, poterit se circa illud exercere intellectus. Jam autem per solum lumen naturale, non perfectè possidetur. Paritas adlata non tenet: quia electio connaturaliter ordinatur ad ponendum aliquod, quod non habetur, novaque electio circa bonum possessum, non inducet novam possessionem. Jam autem nova cognitio, est novus modus, & ratione novi modj, nova possessio ejusdem objecti.

OBJICITUR Quartò. Experientia, quia dum oculis cerno solem, quantumvis aliquis testetur diem esse, & ego coner assentiri, non potero: sed tantum assentiar: quia video. Ergo apparet fidem & assensum evidentem incomparati se.

RESPONDET Mæracius & Lugo. Negan- do Antecedens Possumusque experiri quod credamus, si nobis dicat aliquis Possumus, quam ceteroqui videmus, vel vidimus. Non incommoda est in simili doctrina Ripalda; regulariter loquendo non conjungi fidem notitiæ intuitivæ. Ratio: quia assensus fidei, non præstatut nisi ex imperio voluntatis: voluntas autem ad hoc imperium regulariter loquendo, non movetur. Ratio: quia ab intellectu ei non proponitur ut imperet assensum, contentante se intellectu, per notitiæ intuitivam. Denique experientia si tenet, in hoc tenet; quando ipse assensus fidei non adfert maiorem certitudinem, quam adfert notitia sensuum, non exerceri tunc actum fidei; appetitus enim veritatis, qui competit intellectui, sufficienter tunc expletur; sed si fides adferat maiorem certitudinem, ut adfert fides Divina, hoc ipso inclinabitur intellectus, ad arripiendum illud motivum.

INSTABIS. Vi hæcenus dictorum sequi, quòd etiam connaturaliter fides & notitia intuitiva secum stare possint.

RESPONDETUR. Fides humana & notitia intuitiva ob dictam rationem rarò secum stare, secus fides Divina: quia anima appetit certiori motivo moveri. Fides tamen evidentia visionis beatæ non stant secum connaturaliter: quia cum visio non minus certò, in superque evidenter proponat veritatem primam; superfluit jam fides: præcipue cum modus noscendi distinctus, qui habetur in fide præ visione, compa-

ratè ad visionem, sit imperfectus: cum dicat scriptura evacuandum esse, quod imperfectum est. Anima etiam v. g. bovis & anima rationalis non stant secum connaturaliter: quia requirunt pugnantibus oppositas dispositiones, quæ secum connaturaliter non cohærent; estque determinatio in materia ad unam formam, non est autem in intellectu ad unam non nisi cognitionem, quæ etiam non requirunt dispositiones contrarias, & contrarietas quæ est ratione diversorum motivorum, est similis ei, quæ est in diversa temperatura colorum, se compati entium.

OBJICIT Quintò Esparza. Nemo credit Deo nisi loquenti, locutione interiore, determinatè ad illum hîc & nunc directâ; cum homines sæpè loquantur vagè, nequit autem Deus exercere locutionem directam hîc & nunc ad me determinatè, si illud ipsum formaliter actu video: quia nequit Deus ineptire loquendo, nec vult auctoritatis suæ derisionem: ineptit verò qui interpositâ suâ auctoritate vult suadere rem, quam audiens videt, & si dicendi crede mihi duo & tria, esse quinque, respondeatur credo ita esse ob tuam auctoritatem, manifesta hæc esset derisio.

RESPONDETUR. Ineptiret DEUS, si alio modo idem objectum non manifestaret, quam habeatur per evidentiam, & non adferret motivum excellentiùs quam si evidentia, vel par; posset enim contemni & refelli ut pote ignobilius. Et quia in humanis non adfertur motivum majus, præ evidentia, fit ut illi soli inhæreatur, contemnaturque regulariter loquendo, auctoritas dicentis. Supra autem evidentiam naturalem, adfert DEUS certius motinum; & si vellet componi visionem beatam cum fide, adferret par motivum; adeoque non contemptibile.

INSTAT Primò. Licet credens non formidet actu, nec formidare possit in sensu composito fidei, assentitur tamen ad modum formidantis; sed nequit intellectus assentiri ad modum formidantis veritati, quam formaliter videt.

RESPONDETUR. Non satis apparere, quomodo vi certissimi motivi procedatur ad modum formidantis; sed posito etiam ita procedere fidelem, procedet formidando ex vi unius motivi, non procedet formidando ex vi alius.

INSTAT Secundò. Repugnat ut quis concipiat promissionem quasi de futuro sub conditione, quod videt jam existere absolute: nec quisquam poterit, tamen si maximè conetur, elicere hunc actum: volo Petro dare centum si navis venerit, dum videt navim venisse. Ergo etiam repugnabit, ut quis concipiat assensum enigmaticum, circa id, quod in propria specie cognoscit.

RESPONDETUR. Sicut per ipsum Esparza, scientia conditionata stat in Deo cum absoluta,

cur non poterit stare, & in creatura. Negoque talem promissionem non posse fieri. Sed regulariter non fieri: quia regulariter non proponitur ab intellectu eventus futurus, cum est iam præsens. Sed posita evidentiâ circa objectum fidei, potest proponi & acceptari ab intellectu motivum fidei; utpote magis certificans potentiam quæsitivam certitudinis, hoc est intellectum.

INSTAT Tertiò. Si quis alii denuntiet ad modum formidantis, quem aliunde notum est id scire, certissime protinus dicetur eum fingere, nec omnino loqui ex animo, quod tamen fieri non posset, nisi supponeretur ut certum, non posse simul eum habere in animo, talem modum concipiendi eandem rem; præcipue quia nemo potest sibi fingere, nec perinde agere interius, ac si non esset sibi suorum conscius secretorum.

RESPONDETUR. Cum legaliter hæc duo non stent secum, multò magis in humanis, benè tunc dicetur talis non loqui ex animo, sed fingere; præcipue cum loqui ex animo, sit loqui nihil reticendo; ille autem habet in animo, etiam certam scientiam, de qua nihil enuntiat. Casu autem quo secum componantur illi duo assensus, nemo sibi ipsi fingit, sed ex vi hujus motivi assentietur certò, ex vi alius incertò.

DIFFICULTAS III.

Potesne Fides stare cum incertitudine extrinsecorum Fidei?

INCERTITUDO extrinsecorum fidei est incertitudo petibilis à motivis probabilibus, quæ non agnoscit pro suis fides, sed spectant ad opinionem. Queritur ergò. An fides Divina stare possit cum opinione?

DICENDUM est. *Esse compossibilem opinionem, fidei: posseque hæc duo secum stare.* Est Conclusio post alios contra Esparza quæst. 23.

PROBATUR Primò. Quia nulla in hoc implicitia.

PROBATUR Secundò. Rationibus quæ secundò loco sunt posite in difficultate præcedenti. Unde urget paritas; possunt duo alii assensus, ex diversis motivis, circa idem objectum, secum stare. Item cognitio abstractiva de Dei existentia, cum Visione beata: potest item ex dictis compari visio beata, Fidem. Ergò & opinio poterit stare cum fide.

PROBATUR Tertiò argumento quod sibi opposuit Esparza. Si opinio & fides non possent secum stare in eodem circa idem, rationes probabiles Theologorum circa mysteria nostræ fidei, excluderent à Theologis fidem illorum, & essent inutiles, ad confirmandam fidem aliorum.

RESPONDET Esparza. Theologos tunc non moveri per rationes ad opinandum de rebus dei, sed ad judicandum esse rationabilia eadem mysteria, etiam secundum discursum naturæ, nec impediunt exercitium fidei, sed magis illud reddunt facile.

CONTRA. Tum quia quando illæ rationes reddunt rationabilia mysteria fidei, vel sunt demonstrativæ vel probabiles. Si demonstrativæ. Ergò scientia & fides stare secum possunt. Ergò & opinio cum fide. Si sunt probabiles. Ergò quantum ex vi sua, probabilem non nisi assensum adeoque opinativum de illo objecto generant, de quo tamen, assensum certissimum generat fides. Ergo illi duo actus stare secum adhuc possunt. Neque enim, ut dicit, excludit fides, ut mysteria nostræ fidei reputentur rationabilia. Tum quia rationes illæ non impediunt exercitium fidei, redduntque illud magis facile. Ergo nec assensus illis innitens, qui indubiè opinativus est, impedit actum fidei. Tum quia possunt secum stare certitudo non nisi moralis, quod hoc DEUS dixerit, habitæ per motiva credibilitatis, cum certitudine summa, quod hoc Deus dixerit, petita, ex ipso motu. Ergo etiam secum stare poterunt opinio & fides. Mitto objectiones quæ in simili tractata in animasticis. Perstringuntur non si Recent.

OBJICIT Primò Esparza. Fides est certa certitudine excludente penitus possibilitatem oppositi; opinio autem est incerta incertitudine & formidine admittente possibilitatem oppositi, ut habet Aristot. & S. Thom. quæst. 67. art. 3. et sunt incommpossibiles essentialiter, hujusmodi certitudo & incertitudo, de eodem; secundum idem, essent enim compossibiles affirmatio & negatio secundum idem; negat autem possibilitatem oppositi fides, quam affirmat opinio.

RESPONDETUR. Negando tunc fore affirmationem & negationem secundum idem: quia erit secundum diversa motiva.

OBJICIT Secundò. De ratione opinionis est, ut sibi proponantur opposita, neque potest ita amplecti unam partem, ut omnino excludat oppositam: quia caret medio excludente oppositam partem; & tamen fides excludit oppositam partem.

RESPONDETUR. Fore hinc exclusionem tuius oppositæ partis, non ratione ejusdem; sed vi motivi fidei, non exclusio autem oppositæ partis, erit vi motivi opinionis; quæ duo secum stare non possent, necdum demonstratur.

OBJICIT Tertiò. Vi hujus doctrinæ sequeretur, quod connaturaliter possent esse simul amor & odium, assensus & dissensus: procedent enim ratione diversorum, quæ quidem ne divinitus stare secum posse, multi autumant.

RESPONDETUR. Negando sequel. Quia motivum amandi habet vim expugnandi motivum odii,

odii, utpote non trahens ad amandum saltem imperfectè; sed trahens simpliciter ad oppositum, consequenter ipse amor, habet vim expellendi odium, utpote oppositum rationem habens, unumquodque autem est natum expellere sibi oppositum vel ex ipso titulo conservationis sui. Opinio autem circa idem & fides, ex eo ipso quia utraque est assensiva objecto, non sibi opponuntur, adeoque nec habent vim expellendi se, quæ vis expellendi fundatur in oppositione; ipsaque opinio comparata ad fidem, est sicut imperfectus assensus, comparatus ad perfectionem.

OBJICIT Quartò Quidam. Non possunt secum stare scientia & opinio. Ergo nec fides & opinio. Antecedens probatur. Duo contradictoria non possunt verificari de eodem subiecto, fieret autem hoc in præsentis; quia actus certus qui est scientiæ, & actus incertus qui est opinionis, sunt contradictorii; & sicut irrationale, dicit negationem rationalitatis; ita incertus actus, dicit negationem certitudinis; & ulterius patet. Nam irrationale: quia dicit negationem rationalitatis, potest dici irrationale, non est rationale. Ergo etiam quia incertum dicit negationem certitudinis, incertum poterit dici, non esse certum.

RESPONDETUR. Argumentum videtur multum probare: quia probat album & nigrum non posse divinitus secum esse; quia nigrum dicit negationem albedinis: bene enim prædico nigrum est, non album: probat item animam rationalem & irracionalem non posse informari eandem materiam: quia irracionale est negatio rationalitatis; nihil autem sui positione & sui negatione informari potest. Ex qua retorisione confurgit hæc major. Quando aliqua negatio est in re aliquid positivum, importans aliquid negativum, tunc cum opposito positivo, non dicit contradictionem, & quando negatio in re, non est aliquid positivum; tum primum vera erit contradictio. Jam autem incertitudo est quid positivum in opinione. Unde etiam de opinione, est prædicabilis assensus, qui est quid positivum.

OBJICIT Quintò. Tota hæc Conclusio supponit, ideo hæc secum stare posse, quod procedant ratione diversi motivi, & diversi objecti; sed licet procedant ratione diversi medii, procedunt tamen ratione ejusdem objecti. Ergo adhuc hæc simul secum stare implicat, quia sufficit ad rationem contradictionis ut de uno eodemque objecto, sit assensus certus & incertus: & si diversitas mediorum tolleretur contradictionem; posset etiam secum stare iudicium quo dicat hoc esse verum, & iudicium quo dicat hoc esse falsum; item assensus & dissensus: posset enim hoc fieri, ratione diversorum motivorum.

RESPONSUM. Assensum & dissensum, illaque

judicia divinitus secum stare posse: quod autem connaturaliter secum repugnant, non repugnant ex oppositione contradictoria, sed quia habent secum particulares oppositiones, adeoque pugnam: neque enim ut dictum, dissensus, est imperfectus eidem objecto assensus, ut contingit in actu probabili comparato ad certum, utrumque enim est assensivum eidem objecto.

INSTAT. Quamvis actus certus & incertus non sint contradictorii ratione sui, erunt tamen contradictorii, ratione ejusdem objecti, & ejusdem intellectus; à quo procedunt, & quem denominant esse simul certum & incertum: contradictio autem desumitur non ex diversitate ipsorum actuum; sed ex identitate intellectus & objecti ejusdem, alias nulla contradictoria darentur: quia intellectus posset unam propositionem ex contradictoriis uno actu judicare tanquam veram; & eandem alio actu simul judicare tanquam falsam, quod dicere est absurdum; quod autem desumatur contradictio ex uno eodemque objecto per ordinem ad unum eundemque intellectum patet: quia omnes concedunt propositiones contradictorias simul & semel sive uno, sive duobus actibus, ab intellectu tanquam veras, admitti non posse.

RESPONDETUR. Non satis liquere quomodo ex identitate intellectus desumatur contradictio. Licet enim non possint esse duæ contradictoria simul vera vel falsa; bene tamen possunt ab intellectu elici, & tamen tunc illæ contradictoria, verè erunt contradictoria, denominabuntque intellectum contradictoria elicientem, quod quomodo fieri poterit, si contradictio petenda est, ab eodem intellectu. Rursus intellectus, est principium etiam contradictoriorum actuum, quod quomodo stare poterit, si contradictio petitur ab eodem intellectu, contradictoria autem nunquam secum stare possunt. Unde ulterius negatur fore illic veram contradictoriam, cum non desumatur ut dictum ratione ejusdem motivi: si enim non erit ratione ejusdem motivi contradictio, quomodo erit affirmatio & negatio de eodem.

Supposita de legitima contradictione.

SUPPONO Primò. Contradictionem esse terminum de linea dici; & quia dici sequitur ad esse, etiam contradictio supponet esse circa quod, hinc distinguendo terminos, contradictoria Logice sunt in *Affirmo & Nego*, in *Ha & Non*; contradictoria Metaphysice sunt in *Esse & Non esse*.

SUPPONO Secundò. Maximam esse differentiam inter contradictoria. Videtur hoc Aristoteles ita explanare 10. Metaph. à tex. 13. Quæ se habent in differendo sicut distantia quæ maximè distant, maximè differrent. Jam autem contradictoria sunt quæ maximè distant; distantia autem ultimarum inquit ille maxima est

quæ etiam contrariorum. Porro quod contradictoria maxime inter se distent explanat id Arist. per explicationem maximi & perfecti. Maximum est ejus non est excessus; perfectum verò extra quod non est possibile aliquid habere, quemadmodum etiam cætera perfecta dicuntur, eo quod habeant finem. Jam autem contradictoriam distantiam nihil excedit. Ergo illa maxima, estque illa perfecta differentia: Cum enim in illa debeat esse oppositio per esse & non esse; hoc ipso est perfecta: quia cum dicat pro alio extremo nihil, seu non esse; perfecta oppositio erit; *extra finem enim* inquit ille *nihil est*; perfecta ergo erit illa oppositio: quia terminata ipsomet opposito nihil, tanquam finali, quod nota finis seu perfecti: *nihil enim* inquit ille *extra finem est*. Hoc ipsum supposito per hoc

PROBARI potest. Maxime differunt quæ nihil habent commune, nataque sunt se non nisi auferre, & se à se extrudere: si enim sit aliquid commune; hoc ipso quia commune est, non faciet differre, sed communicare: & sicut duæ parallelae magis distant, eò quod nihil habent commune; nec ita distat triangulus rectilineus, eò quod habeat aliquid commune nempe angulum; ita & in entibus & dictionibus, ea maxime distabunt, quæ nihil habent commune. Nam *non est* nullo modo est commune *Est* & negatio utpote malignantis naturæ, nata est extrudere affirmationem; sit ut maxima sit inter contradictoria differentia.

Huic supposito videtur dissentire S. Thomas, quarit ille Secundæ Secundæ q. 79 art. 2. An peccatum omissionis sit gravius præ peccato transgressionis, seu commissionis? dicitque gravius esse peccatum Commissionis cæteris patibus: Rationem dat: quia magis distat contrarium à suo contrario, quàm simplex ejus negatio, sicut nigrum plus distat ab albo, quàm simpliciter non album: *omne enim nigrum est non album; sed non convertitur; manifestum autem est inquit, quod transgressio contrarietur actui virtutis; ommissio autem importat negationem ejus*. Sed hæc doctrina S. Thomæ non est contraria supposito allato: nam non loquitur S. Thomas de contradictoria oppositione, an illa comparatè ad contrariam, idque in ordine oppositionis Logica sit major; sed loquitur de negatione simpliciter; nomine autem negationis simpliciter intelligit, quando aliquid in ratione sua primaria quam importat, non dicit oppositionem & repugnantiam; non erit autem negatio simpliciter, si in primaria sua ratione oppositionem dicat; nec se habet merè disparatè, & ita magis opponitur albo nigrum, quia in primaria ratione pugnant; minis autem pugnat viride, quia non dicit oppositionem ad album in primario suo ratione; licet ad viridè sequatur negatio albi. Cum autem contradictoria secundum primas

rationes secum pugnent, sit ut maxime distent. Sed explicandum venit, quomodo Contradictoria, nihil habeant commune. *Hinc*

SUPPONO Tertiò. Sicut quæcunque distantia supponit commune hoc, quod utrumque distat. Supponit item spatium quod mensuratur & intercipit; ita maxima contradictoriorum differentia, supponit etiam aliquid commune, nempe subiectum illud de quo procedit, & tunc pullulabit *prima conditio contradictionis*; nempe ut sit contradictio de eodem. Docuit hoc Arist. lib. 1. de interpr. c. 5. *Manifestum est autem inquit quod una negatio, unus affirmatio erit*: hoc enim idem oportet negare negationem quod affirmatio affirmavit; idque ostendit argumento à posteriori. Non est homo albus, & est homo albus, si non sint de eodem subiecto non sunt contradictoria, hinc & veræ esse possunt prima v. g. de Petro, secunda de Paulo; quia non procedunt de eodem subiecto.

Quorum omnium Ratio? quia si non procedat de eodem subiecto negatio & affirmatio, per non esse, non tollitur esse: quia deberet illud tollere conjunctione sui Non; non tolleret autem conjunctione sui Non; siquidem illi eidem non uniretur, non procedendo de eodem. Nec affirmatio tollitur à negatione, neque ab illa malignabitur: quia eam non attingit. Et sicut nemo ægritudine alienâ ægroratur & malignatur; ita nulla affirmatio, negatione malignabitur, si supra illam non cadet. Per hoc tamen non constitueretur contradictio (ut dixi supra) quia habere commune subiectum (ut dicebam supra,) convenit etiam affirmationibus veris; hinc per hoc quod est commune etiam non contradictoriis, formalizari non poterit contradictio.

SUPPONO Quartò. Contradictionem debere procedere etiam ratione ejusdem five prædicati five motivi. v. g. Expressit hoc Arist. cit. *Una autem inquit affirmatio & negatio est, quæ unum de uno significat, & infra. Si verò duorum unum nomen positum est, ex quibus non est unum, non est una affirmatio, neque una negatio. Quod ipsum probat à posteriori. Quia in contradictionis est differentia; si autem non dicatur idem de eodem, non erit differentia: nihil enim inquit differt qui diceret quod est homo, equus albus; hoc autem nihil differt quàm diceret est homo albus, & est equus albus; si ergo hæc multa significant, & sunt plures, manifestum est quod & prima, & multa, & nihil (supple contradictionem) significant. Hoc ipsum probatur. Pone has propositiones: Attingo veritatem, ut est in se ratione visionis; Non attingo veritatem ut est in se ratione opinionis vel fidei. Certè hæc Contradictoria non sunt; & sic de reliquis: quia non procedunt ratione ejusdem. Deinde si non procedat affirmatio & negatio de eodem, non erit vera contradictoria ut dictum supra. Ergo etiam si non proce-*

procedat contradictio ratione ejusdem prædicati vel motivi &c. non erit etiam vera contradictoria. Quod ipsum in hoc resolvitur: quia si non sit affirmatio & negatio ratione ejusdem prædicati, manebit omnino affirmatio innegata: si manebit innegata, hoc ipso non erit contradictio, quæ semper debet esse in ordine Logico, secundum affirmationem & negationem, & in ordine Metaphysico erit non nisi *Esse*: quia non habet disturbativum sui, *Non esse*. Cum autem hoc ipsum motivum, possit hoc vel alio modo sumi; quæ alietas modi æquivaler ipsi diversitati motivi; hinc, ut sit vera contradictio, debet esse oppositio per est vel non est, per affirmo & nego, etiam ratione modi ejusdem. Ratio, quia si non erit oppositio in ratione modi; non erit in ratione modi differentia, adeoque nec contradictio. Et hinc pullulat illa conditio contradictionis, quod debeat esse de eodem, ratione ejusdem, ly ratione ejusdem, subdividendo, five ratione ejusdem prædicati aut motivi, five ratione modi. Quod alii exprimunt: Contradictionem debere esse, de eodem, circa idem, ratione ejusdem.

SUPPONO Quinto. Ex dictis contradictionem non debere sumi præcisè ad intellectum, quem denominant illa affirmatio & negatio: licet ad veram contradictionem, requiratur ut idem intellectus affirmet & neget; ad contradictionem inquam formalem, nam ad objectivam id non requiritur: si enim dicat Christianus est DEUS, dicat Atheus non est DEUS, erit adhuc objectiva contradictio, licet non formalis ejusdem subiecti, non enim idem subiectum est affirmans & negans. Quod autem non debeat sumi contradictio præcisè per ordinem ad intellectum qui denominetur. Ratio. Tum quia ut dicebam quando intellectus dicit, non potest idem esse & non esse, affirmat esse, & negat esse; & tamen affirmatio & negatio recipitur in intellectu, recipi autem non potest, si contradictio sumi deberet per ordinem ad intellectum recipientem, & denominatum affirmatione & negatione, à quibus non potest non denominari, cum omnis actio vitalis denominet suum subiectum, & si potest denominari; poterit majori jure, nempe ratione diversorum motivorum, poterit inquam denominari certus vel incertus. Tum quia omnes qui dicunt possibile esse formari ab intellectu ens rationis; dicunt illud existere objectivè in intellectu, denominareque intellectum, illa contradictoria simul concepta affirmantem & negantem. Ergo apparet, quod

contradictio, non sit desumenda ab intellectu, illis contradictoriis denominato. Tum quia omnis contradictio duos terminos respicit. Cum autem intellectus recipiens utramque denominationem, sit unus, respectu illius præcisè, contradictio non erit. Tum quia quamvis desumeretur contradictio ratione intellectus denominati, cum denominetur à contradictoriis, & diversitas motivorum non inducat contradictionem, fit, ut adhuc denominari ab illis non possit. Tum quia dividendo ut diximus oppositionem hanc in lineam dici, & lineam esse; intellectus acquirens illas denominationes, non acquirit contradictionem, nec ex linea dici nec ex linea esse; non ex linea esse: quia esse illius ex illis denominationibus non acquirit non esse, nec acquirit oppositionem ex linea dici: quia ipse intellectus non est dictio; ipsæque illæ dictiones nempe affirmatio & negatio ratione diversorum motivorum, si non opponuntur sibi contradictoriè, quomodo denominabunt contradictoriè?

Tritum est principium, & nota investigandi legitimitatem contradictionis, quod duo contradictoria, non possint esse simul vera & falsa. Hoc principium est Logicum; nec à Logico probari potest: potest probari à Metaphysico per esse, tanquam per prius, præ dici. Ratio dictæ positionis est: Impossibile est, ut esse, sit non esse, & hoc jam ulterius probari non potest: quia ipso esse, in linea esse, & ipso non esse, in linea non esse, non datur quidquam prius. Ergo nec dictæ propositionis ulterior probatio, sed sola explicatio terminorum, inductio, & deductio ad absurda notificant illud. Sed si duæ contradictoriæ verificarentur, esse, esset non esse. Quod ipsum ut probetur. Suppono has duas Omnis homo est rationalis, aliquis homo non est rationalis esse contradictorias. Suppono rursus illius Majoris: Omnis homo est rationalis, esse hunc sensum, & Petrus est rationalis, & Paulus est rationalis & sic de reliquis; ita ut si non esset verum de reliquis, hoc ipso falsum esset *Omnis*. His suppositis. Formatur argumentum. Verificari, quod esse hominem, sit non esse hominem, est verificari esse & non esse. Sed verificatis duobus contradictoriis, verificatur in universali Petrum v.g. esse hominem, ut fuit suppositio. Ergo verificatis duobus contradictoriis, verificaretur esse & non esse.

Quod etiam ostendit quare utraque non possit esse falsa modo commutetur propositio.